



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

De Versibus. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

De Versibus. CAP. X.

A Verrendo dicitur *Versus*, Alcuin. *cap. de Celebrat. Missa.* Et hoc habet singulare Versus, vt excitet corda cantantium ad requirendam faciem Dei in oratione, Amal. *lib. 4. cap. 45.* & Præterea *cap. 3.* ait, vim habet, vt conuerti faciat totum Chorum ad vnum, & totam intentionem illius ad rem pro qua fit Officium. Idem repetit in *Ordine Antiph. cap. 1.* vbi ait, Versum esse compositionem officialem, per quam reuertitur intentio mentis. vnde, eodem teste Amal. vertebant se cantantes Versum ad Orientem, *lib. 4. cap. 2.* vel ad Altare, *de Ord. Antiph. cap. 1.*

2 Versus igitur post Nocturnos ante Lectiones dicuntur, vt excitemur ad Orationem Dominicam, Absolutionem, & Lectionem, ad quam sessio facile negligentiam parit, idem *cap. 45.* In fine quoque Psalmorum, id est operum, excitamur ad spem præmiorum, idem *cap. 12. eod. lib. 4.* Ante Cantica Evangelica, in Laudibus, Vesperis, & Completorio excitamur Versibus ad intelligentiam eorundem, & ad Orationem proximam, idem *cap. 45.* Denique ante Orationem, & in commemorationibus semper adhibetur Versus, vt oratio ferueat, idem *cap. 9.*

3 In Paschate & eius Octaua non habentur Versus in Horis, vt alijs; quia tanta est festiuitas cum breuitate Officij coniuncta, vt non egeamus stimulis, Amal. *de Ord. Antiph. cap. 7.*

4 Tempore Paschali additur vtrique parti Versus *Alleluia*, ad maiorem lætitiã exprimendam; non tamen Versibus Responsoriorum additur; quia non terminant totum Responsorium, & non sunt Versus ad excitandum,

vt ij, de quibus in hoc capite.

5 Versibus, qui habentur in Precibus, non additur *Alleluia*; quia in his attenditur potius ratio humilitatis & mœroris quàm lætitiæ.

De Absolutionibus, & Benedictionibus. CAP. XI.

Absolutionum, de quibus hoc loco, meminit Radul. *Propos. 15.* & puto ita vocari; vel quia absoluitur Nocturnum; vel quia simul cum Oratione Dominica præcedenti petimus (ait Hugo in *Spec. cap. 3.*) mundari corda & corpora nostra ad audiendum verbum Dei in Lectionibus. Nam Oratio Dominica dicitur, ex Duran. *lib. 5. cap. 3.* vt qui eget sapientia ad Lectiones intelligendas necessaria, postulet eam à Deo, qui dat omnibus affluenter; & vt eiusdem orationis auxilio proficiat in nobis renouata per præcedentem Versum intentio.

2 Versum appellat ipsammet quoque Absolutionem Gemma *lib. 1. c. 5.* Quasi, inquit, qui mandatum Legatis ad prædicationem iniungit, quasi absoluat eos, vt eant ad legendum. Rupertus *lib. 1. c. 11.* putat Absolutionem esse orationem, qua rogamus Dominum messis, vt mittat operarios in messem, & aperiat cor nostrum in lege sua, ne semen, id est verbum Dei, quod audituri sumus, aut volucres comedant, aut spinæ suffocent, aut in petra, quæ non habet humorem, arefcant. Dicerem, Absolutiones appellari, sumpta denominatione à nobilitate quæ dicitur in tertio Nocturno, in qua sunt ea verba, *A vinculis peccatorum nostrorum absoluat nos, &c.*

3 Lector petit benedictionem magnæ humi-

L humi-